



Unquam adeo promptos habuimus animos, ad exsolvendum consuetæ gratulationis debitum, quàm ubi blandus quidam Concionantis & canentium consensus nuper jucundissimum exhibere videbatur argumentum. Ut enim Chorus Musicus more suo certum eligere textum solet, cui gratulabundam suam harmoniam accommodet: sic forte fortuna, non tamen sine felicitatis præfagio, factum est, ut quæ verba respexissent symphonistæ, illis simul uteretur Maximè Reverendus Præco; singuli vero cives, qui portionem ac hæreditatem suam in Domino semel observare coeperant, à meditationibus suis non divellerentur. Ut igitur omne trinum dicitur esse perfectum: sic tertiâ nunc vice repetitis Jeremiæ verbis commodam bene ominandi materiam captare constitutum est: quibus studiis ut singuli faveant, quorum vel curis, vel beneficiis, vel precibus commendata solet esse Gymnasii prosperitas, quæ par est observantiâ vel pietate rogamus.

Ipsius exercitii commodum initium faciet ipse textus, ad motetæ formulas à Musico nostro compositus.

Inde sub Prologi persona procedens

Christian Gottlob Gerber / Zitt. Lus.

Cur sacrum hoc thema politicis etiam gratulationibus conveniat ostendet. Duos enim Consules Curia nunc recepit CHRISTIANI nomine designatos: quæ tertio loco numerat æquè gratum CHRISTIANI filium.

Inde resonabit cantilena præparatoria.

Wer ein Volk regieren wil / setzt in Gott das rechte Ziel.
Denn das Uhrwerck von der Welt / wird im Himmel erst gestellt.
Also wächst der selbe Staat / der Sein Theil in Rath und That
Nur bey Gott gefunden hat.

Mancher hofft ein grosses Theil / aber kein gewisses Heil.
Denn der uns das Leben giebt / und der uns im Leben liebt /
Heißt uns leben in der Zeit / Leben in der Christenheit /
Leben in der Ewigkeit.

Cujus ulteriorem sensum illustrabit

Johann Ehrenfried Mücke / Frauenstein. Misn.

Quemadmodum enim in laudata Concione, Portio hæc commendabatur, ut decenter eligenda, ut omni studio quærenda, ut intra silentium præstolanda: sic triplicis hujus officii meliorem successum affore credet, si, quantum hæc portio vel hæreditas, tum singulis hominibus, tam præcipue magistratibus exoptari debeat in vita civili, in vita spiritali, in vitæ tandem æternæ fiducia, latius explicetur.

Ita